

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia

Quid in eo contineatur sequens pagina indicabit

**Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>**

**M.DC.XLVI., 1646**

Ad Marciam de consolatione

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1509](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1509)



# L. ANNÆI SENECAE

Ad Marciam

DE CONSOLATIONE,

*LIBER VNVS.*

CAPVT I.

**S**I te, Marcia, scirem tam longè ab infirmitate muliebris animi, quàm à ceteris vitiis recessisse, & mores tuos velut antiquum aliquod exemplar aspici, non auderem obuiam ire doloti tuo, cui viti quoque libenter hærent & incumbunt. Nec spem concepissem, tam iniquo tempore, tam iniquo iudice, tam inuidioso crimine, posse me efficere, vt fortunam tuam absolueres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, & magno experimento approbata virtus tua. Non est ignotum, qualem te in persona patris tui gesseris, quem non minus quam liberos dilexisti: excepto eo, quod non optabas superstitem: nec scio an & optaueris. Permittit enim sibi quædam & contra bonum morem magna pietas. Mortem A. Cremutij Cordi parentis tui quantum poteras inhibuisti. Postquam tibi aperuit, inter Scianianos satellites illam vnum patere seruitutis fugam, non fauisti consilio eius, sed dedisti manus: victaque fudisti lacrymas clam, & gemitus deuorasti quidem, non tamen hilari fronte rexisti: & hoc illo sæculo, quo magna pietas erat, nihil impie facere. Vt vero aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in vltum hominum reduxisti, & à vera illum vindicasti morte, ac restituiti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sangui-

ne suo scripserat. Optime metuisti de Romanis studiis; magna illorum pars aruerat: optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata; optime de ipso, cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci, quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta maiorum, quamdiu quisquam qui velit scire, quid sit vir Romanus, qui subactis iam cervicibus omnium, & ad Scianianum iugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum resp. ceperat si illum ob duas artes pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam & libertatem, non eruisses. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetustatem nullam timet. At illorum carnificum cito scelera, quibus solis memoriam meruerunt, tacebuntur. Hæc magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere: vetuit ad vulum, quem tot annorum continua tristitia, vt semel obduxit, tenet. Et vide quam non surreptam tibi; nec fucum facere affectibus tuis cogitem. Antiqua mala in memoriam reduxi. & vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi æque magni vulneris cicatricem. Alij itaque molliter agant, & blandiantur: ego configere cum tuo mœnore constitui, & defessos exhaustosque oculos; si vetum audire vis, magis iam ex consuetudine quam ex desiderio fluentes condinebo: si fieri poterit, fruente te remediis tuis; sin minus, vel inuita, teneas licet & amplexeris dolorem tuum, quæ tibi in filij locum superstitem fecisti. Quis enim erit finis? Omnia in superuacuum tentata sunt. Fatigatae allocutiones amicorum, auctoritates magnorum & affinium tibi virorum: studia, hereditarium & paternum bonum, surdas aures irritò ac vix ad breuem occupationem proficiente solatio transeunt. Illud ipsam naturale remedium temporis quod maximas ærumnas componit, in te vna vim suam perdidit. Tertius iam præterit annus; cum interim nihil ex primo illo impetu cecidit, renouat se & corroborat quotidie luctus: & iam sibi ius mora fecit; eoque adductus est, vt putet turpe desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt, oppressa sint, ita quoque hæc tristitia & misera, &

in se

in se læuientia, ipsa nouissime acerbitate pascuntur, & fit infelicis animi praua voluptas delor. Cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere. leuiore medicina fuisset oriens adhuc restringenda mali vis: vehementius contra inuererata pugnandum est. Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum à sanguine recentia sunt: tunc & vruntur, & in altum reuocantur, & digitos scrutantium recipiunt. vbi corrupta in malum vlcus veterarunt, difficiliter curantur. Non possum nunc per obsequium, nec molliter assequi tam durum dolorem. Frangendus est.

CAP. II. SCIO, à præceptis incipere omnes qui monere aliquem volunt, & in exempla desinere. Mutari hunc interim ordinem expedit. Aliter enim cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit: quibusdam nomina clara oppoenda sunt, & auctoritas, quæ liberum non relinquant animum ad speciosa stupentem. Duo tibi ponam ante oculos maxima & sexus rui, & sæculi nostri exempla: alterius scemina, quæ se tradidit ferendam dolori: alterius quæ pari affecta casu, maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octauia & Liuia, altera soror Augusti, altera vxor, amiserunt filios iuuenes, vtraque spe futuri principis certa. Octauia Marcellum, eui & auunculus & socer incumbere cæperat, in quem onus imperij teclinaret, adolescentem animo alacrem, ingenio potentem, frugalitatis continentiaque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandæ. patientem laboris, voluptatibus alienum, quantumcunque imponere illi auunculus, & (vt ita dicam) inædificare voluisset, laturum. Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem per omne vitæ suæ tempus flendigemendiq; fecit. Nec vllas admisit voces, salutare aliquid afferentes. Ne auocari quidem se passa est. intenta in vnam rem & toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit qualis in funere. non dico non ausa consurgere, sed alleuari recusans: secundum orbitatem iudicans, lacrymas ommittere. Nullam habere imaginem filij carissimi voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liuiam maxime surebat: quia videbatur ad

illius filium transisse, sibi promissa felicitas. Tenebris & solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrandæ Marcelli memoriæ composita, aliosq; studiorum homines reiecit, & aures suas aduersus omne solatium clausit, à solemnibus officiis seducta, & ipsam magnitudinis fratrenæ nimis circumlucentem fortunâ exosa, defodit se, & addidit. Assidentibus liberis, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum, quibus saluis orba sibi videbatur.

CAP. III. LIVIA amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem. Intrauerat pœnitus Germaniam, & sibi signa Romana fixerat, vbi vix illos esse Romanos, notum erat. In expeditione victor decesserat, illis ipsum hostibus ægrum cum veneratione & pace mutua prosequentibus, nec optare quod expediebat audentibus. Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro reprobierat, ingens ciuium prouinciarumque, & totius Italiæ multitudo: per quam effusus in officium lugubre municipiis, coloniisque, vsque in urbem ductum erat funus triumphi simillimum. Non licuerat matri vltima filij oscula gratumque extremi sermonem oris haurire, longo itinere reliquias Drusi sui prosecturæ, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irritata. Vt primum tamen intulit tumulo, simul & illum, & dolorem suum posuit: nec plus doluit quàm aut honestum erat aut Cæsare aut æquo maius. Non desit itaque Drusi sui celebrare nomen, vbique illum sibi priuatim publiceque representare & libentissimè de illo loqui, de illo audire: cum memoriæ alterius nemo posset retentare, quin illam tristem sibi redderet. Elige itaque vtrum exemplum putas probabilius si illud prius sequi vis, eximis te numero viuorum. Auerfaberis & alienos liberos & tuos, ipsumque desiderans, triste matribus omen occures. Voluptates honestas permixtas, tanquam parum pecoras fortunæ tuæ reiciens, inuisam habebis lucem: & ætati tuæ, quod non præcipitet te quam primum, & finiat, infestissima eris. Quod ruti-pissimum alienissimumque est animo tuo, in meliorem noto partem, ostendes te viuere nolle, mori non posse. Si ad hoc maximæ feminæ te exemplum applicueris, moderatus ac mitius, non eris in ærumnis, nec te tormentis macerabis.

cenabis. Quæ enim, malum! amentia est pœnas à se infelicitatis exigere, & mala sua augere? Quam in omni vita seruasti, motum probitatem & verecundiam, in hac quoque re præstabis. Est enim quædam & dolendi modestia, illum ipsum iuuenem dignissimum quiete, semper nominans, cogitansque, meliore pones loco, si matri suæ, qualis uiuus solebat, hilaris, & cum gaudio occurrat.

CAP. IV. NEC te ad fortiora ducam præcepta, ut in humano ferre humana iubeam modo, ut ipso funebri die oculos matris exsiccem. Ad arbitrum recum veniam. Hoc inter nos quæretur, utrum magnus esse debeat, an perpetuus dolor. Non dubito, quin Liuiæ Augustæ, quam familiaritate coluisti, magis tibi placeat exemplum. Illa te ad suum consilium vocat: illa in primo seruore cum maxime impatientes feroceſque sint miseræ, se consolandam Aereo philosopho viri sui præbuit: & multum eam rem profuisse sibi confessa est: plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua facere: plus quam Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat, nec luctu suorum inclinandus erat: plus quam Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, ut in illo acerbo & defleto gentibus funere, nihil sibi numerum deesse sentiret. Hic, ut opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud fœminam opinionis suæ custodem diligentissimam. Usque in hunc diem Liuia ( quantum quidem ego sciam, assiduus viri tui comes, cui non tantum quæ in publicum emittuntur nota sunt, sed omnes quoque secretiores animorum uestrorum motus ) dedisti operam ne quid esset, quod in te quisquam reprehenderet. Nec id in maioribus modo seruasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famam, liberrimam principum iudicem, velles ignoscere. Nec quicquam pulchrius existimo in fastigio collocaris, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere. Seruandus itaque tibi in hac re tuus mos est, ne quid committas, quod minus aliterve factum velis.

CAP. V. DEINDE oro atque obsecro, ne te difficilem amicis & intractabilem præstes. Non est enim quod ignores omnes hos nescire quemadmodum se gerant: loquantur aliquid coram te de Druso, an nihil: ne aut obliuio clarissimi iuuenis illi faciat iniuriam, aut mentio ti-

bi, cum secessimus, & in vnum conuenimus, facta eius dictaque quanto meruit suspectu celebramus. coram te altum nobis de illo silentium est. Cares itaque maxima voluptate, filij tui laudibus: quas non dubito quin vel impendio vitæ, si potestas detur, in æuom omne sis prorogatura. Quare patere, immo accersere sermones, quibus ille narretur, & apertas aures præbe ad nomen memoriamque filij tui: nec hoc graue duxeris, ceterorum more, qui in eiusmodi casibus partem mali putant, audire solatia. Nunc incubuisti tota in alteram partem, & oblita meliorum, fortunam tuam, qua deterior est, aspicias. Non conuertis te ad conuictus filij tui, occurfusque iucundos, non ad pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa studiorum. Vltimam illam faciem rerum premis. In hanc, quasi parum per se horrenda sit, quicquid potes congeris. Ne, obsecro te, concupieris peruerissimam gloriam infelicissimam videri.

CAP. VI. SIMVL vero cogita, non esse magni animi, se rebus prosperis fortem gerere, vbi secundo cursu vita procedit. Nec gubernatoris quidem artem, tranquillum mare, & sequens ventus ostendit. Aduersi aliquid incurrat oportet, quod animum prober. Proinde ne submiseris te, immo contra fige stabilem gradum: & quicquid onerum supra cecidit, sustine, primo duntaxat strepitu conterrita. Nulla re maior inuidia fortunæ sit, quam æquo animo. Primo hoc ostendit illi filium incolumem, ostendit ex amisso nepotes. Tuum illic Marcia negotium actum, tibi Arcus assedit: te mutata persona consolatus est. Sed putata, Marcia, creptum tibi amplius quam vlla vnquam mater amiserit. Non permulceo te, nec extenuo calamitatem tuam. Si fletibus fata vincuntur, conferamus: eat omnis inter luctus dies: noctem sine somno tristitia consumat: ingerantur lacerato pectori manus, & in ipsam faciem impetus fiat: atque sese omni genere sæuitiæ, profecturus mœror exerceat: Sed si nullis planctibus defuncta reuocantur, si fors immota, & in æternum fixa, nulla miseria mutatur, & mors tenet quicquid abstulit, desinat dolor qui perit. Regamur: nec nos ista vis transuersos auferat. Turpis est nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati nauem. At ille

ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentum & obnixum.

CAP. VII. AT enim naturale desiderium suorum est. Quis negat? quamdiu modicum est. nam in discessu, non solum amissione, carissimorum necessarius morfus est, & firmissimorum quoque animorum contractio. Sed plus est quod opinio adiicit, quam quod natura imperauit. Aspexit motorum animalium quam concitata sint desideria, & tamen quam breuia. Vaccarum vno die alterove mugitus auditur. Nec diutius equatum vagus ille amensque discursus est. Fera cum vestigia catulorum consecrata sunt, & siluas peruagata, cum saepe ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus exinguunt. Aues cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quietae volatus suos repetunt. Nec vlli animali longum fectus sui desiderium est, nisi homini, qui adest dolori suo: nec tantum quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur. Vt scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas quam viros, magis barbaros quam placidos eruditaeque gentis homines, magis indoctos quam doctos, eadem orbitas vulnerat. Atqui ea quae a natura vim acciperunt, eandem in omnibus seruant. Apparet non esse naturale quod varium est. Ignis omnes aetates, omnium vitiu ciues tam viros quam feminas, vret: ferrum in omni corpore exhibebit secandi potentiam. Quare? quia vires a natura datae sunt, quae nihil in personam constituit. Paupertatem, luctum, orationem alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit: & imbecillum impatientemque reddit praesumpta opinio de non timendis terribilis.

CAP. VIII. DEINDE quod naturale est, non decrescit mora. Dolorem dies consumit, licet contumacissimum, quotidie insurgentem, & contra remedia efferuescentem, tamen illum efficacissimum mitigandae ferociae tempus eneruat. Manet quidem tibi Marcia, etiamnum ingens tristitia, & iam videtur duxisse callum, non illa concitata, qualis initio fuit, sed pertinax & obstinata. Tamen hanc quoque aetas tibi minutatim exitmet: quotiens aliud egeris, animus relaxabitur. nunc te ipsa custodis. Multum autem interest, vtrum tibi permittas morere, an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegantiae co-



uenit, sinem luctus potius facere, quam expectare: ne M-  
lum operiri diem quo te inuita dolor desinat? ipsa illi re-  
nuntia.

CAP. IX. Vnde ergo tanta nobis pertinacia in de-  
ploratione nostri, si id non sit naturæ iussu? quod nihil nobis  
mali, antequam eueniat proponimus, sed vt immunes ipsi,  
& aliis pacatius ingressi iter, alienis admonemur casibus,  
illos esse communes. Tot præter domum nostram ducun-  
tur exequiæ, de morte non cogitamus, tot acerba funera,  
nos rogam nostrorum infantium, nos militiam & paternæ  
hereditatis successione animo agitamus. Tot diuitum  
subita paupertas in oculos incidit: & nobis nunquam in  
mentem venit, nostras quoque opes æque in lubrico posi-  
tas. Necessè est itaque magis corruamus, qui quasi ex ino-  
pinato ferimur. Quæ multo ante prouisa sunt, languidius  
incutunt. Vis tu scire, te ad omnes expositam istis stare;  
& illa quæ alios tela fixerunt, circa te vibrasse? velur mur-  
rum aliquem, aut obsessum multo hoste locum, & ar-  
duum ascensu, semiermis adeas, expecta vultus, & illa su-  
perne volantia cum sagittis pilisque saxa, puta in tuum vi-  
brata caput. Quotiens aut ad latus, aut post tergum ceci-  
derint, exclama: non despicias me fortuna, nec securam  
aut negligentem opprimes. Scio quid pares alium percuf-  
sisti, me petisti. Quis vnquam res suas quasi periturus as-  
pexit? Quis vnquam nostrum de exilio, de egestate, de lu-  
ctu cogitare ausus est? Quis non, si admonetur vt de suis  
cogitet, tanquam dirum omen respuat, & in capita inimi-  
corum aut ipsius intempestiui monitoris abire illa iubeat?  
Non putavi futurum. Quicquam tu putas non futurum,  
quod multis scis posse fieri, quod multis vides euenisse? E-  
gregium versum audi, & dignum Publico:

*Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.*

Ille amisit liberos: & tu amittere potes. Ille damnatus est:  
& tua innocentia sub ictu est. Hic nos error decipit, hic ef-  
feminat dum patimur, quæ nunquam pati nos posse præui-  
dimus. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.

CAP. X. QVICQVID est hoc, Marcia, quod circa nos  
ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria &  
exclu-

exclusorum clientium turba, refera vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniux, ceteraque ex incerta & mobili forte pendencia: alieni commodatque apparatus sunt. nihil horum dono datur: collaticis, & ad dominos redituris instrumentis scæna adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca vsque ad finem perseverabunt. Ita non est quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi: mutuo accepimus. Vsfusfructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat. Nos oportet in promptu habere, quæ in incertum diem data sunt, & appellatos, sine querela reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere conuicium. Omnes ergo nostros, & quos superstites legem nascendi optamus, & quos iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, immo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. Sæpe admonendus est animus, amet ut recessura, immo tanquam recedentia. Quicquid à fortuna datum est, tanquam extemplo abiturum possideat. Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos inuicem liberis date, & sine dilatione omne gaudium haurite. Nihil de hodierna die promittitur. Nimis magnam aduocationem degi. Nihil de hac hora festinandum est. Instat à tergo mors: iam deficit iste comitatus. Iam contubernia ista sublato clamore soluentur. Rapina rerum omnium est. Miseri nescitis fuga viuere. Si mortuum tibi filium doles, eius temporis quo natus est, crimen est. Mors enim illi nascenti determinata est. In hanc legem cæcus. hoc fatum ab utero statim prosequatur. In regnum fortunæ, & quidem durum atque inuictum peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri corporibus nostris impotenter, contumeliose, crudeliter abuteretur: alios ignibus perurer, vel in pœnam admotis, vel in remedium: alios nudos mari iactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in harenam quidem aut litus explodet, sed in alicuius ventrem immensæ beluæ detrudet. Alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque detinebit: ut varia & libidinosa, mancipiorumque suorum negligens domina, & pœnis & muneribus errabit. Quid opus est partes deslere? Tota vita flebilis est. Urgebunt noua incommoda, priusquam veteribus satisfeceris. Moderandus est ira que vobis

animus ad hæc maxime quæ immoderate fertis, & in me-  
tus, & in dolores humanam pectus dispensandum.

CAP. XI. QUÆ demum ista tuæ publicæque condi-  
cionis obliuio est? Mortalis nata es, mortales peperisti,  
putre ipsa fluidumque corpus, & casibus morbisque repe-  
tita, sperasti tam imbecilla materia solida & æterna ge-  
stasse? Deceffit filius tuus, id est, decurrit ad hunc finem,  
ad quem, quæ feliciora partu tuo puras, properant. Huc  
omnis ista quæ in foro litigat, in theatris desinet, in tem-  
plis precatur turba, dispari gradu vadit. Et quæ veneraris,  
& quæ despicias, vnus exæquabit cinis. Hoc iubet illa Py-  
thycis oraculis ascripta vox, Nosce te. Quid est homo?  
quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile iactatu, non  
tempestate magna, vt dissiparis est opus. Vbiuque ari-  
taueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fra-  
gile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad  
omnem fortunæ contumeliam proiectum: cum bene la-  
certos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima,  
ex infirmis fluidisque contextum, & lineamentis exteriori-  
bus nitidum, frigoris, æstus, laboris impatiens: ipso rursus  
siti & otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quo-  
rum modo inopia, modo copia rumpitur. Anxiæ sollicitæ-  
que tutelæ, precarij spiritus, & male hærentis, qua parum  
repentinum audiet, ex improviso sonus auribus grauis ex-  
cutit. Soli semper sibi nutrimentum vitiosum & inutile.  
Miramur in hoc mortem vnus, qua singulis opus est? Nun-  
quid enim vt concedat res magni molimenti est? Odor illi  
saporque, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine  
quibus viuere non potest, mortifera sunt. Quocunq; se  
mouet, infirmitatis suæ statim conscius, non omne cor-  
lum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris  
auræ, & tenuissimis causis atque offensionibus morbidum,  
purre, cassum, à fletu vitam auspicatum: cum interim quan-  
tos tumultus, hoc tam contemptum animal mouet? in  
quantas cogitationes oblitum conditionis suæ venit? Im-  
mortalia, æterna volutat animo, & in nepotes pronepotef-  
que disp onit: cum interim longa conantem cum mors op-  
primit, & hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus  
annorum.

CAP. XII. DOLOR tuus, ô Marcia, si modo illi vlla ra-  
tio

mo est, vtrum sua spectat incommoda, an eius qui dece-  
 sit? Vtrumve amisso filio mouet, quo nullas ex illo vo-  
 luptates cepisti, an quod maiores, si diutius vixisset, per-  
 cipere potuisti? Si nullas te percepisse dixeris, tolerabi-  
 lius efficies detrimentum tuum. Minus enim homines  
 desiderant ea, ex quibus nihil gaudij lætitiæque perce-  
 perant. Si confessa fueris percepisse magnas voluptates,  
 oportet te non de eo quod detractum est queri, sed de  
 eo gratias agere quod collegisti. Prouenerunt enim satis  
 magni fructus laborum tuorum ex ipsa educatione: nisi  
 forte hi qui catulos auēsque & friuola animorum oble-  
 ctamenta, summa diligentia nutriunt, fruuntur aliqua  
 voluptate ex visu tactūque & blanda adulatione muto-  
 rum: liberos nutrientibus non fructus educationis ipsa  
 educatio est. Licet itaque tibi nihil industria eius con-  
 tulerit, nihil diligentia custodierit, nihil prudentia quæ-  
 sierit: ipsum quod habuisti, quod amasti, fructus est. At  
 potuit longior esse, & maior. Melius tamen tecum actum  
 est, quàm si omnino non contigisset. Quoniam si ponatur  
 electio, verum satius sit non diu felicem esse, an nunquam:  
 melius est, discessura nobis bona, quàm nulla contingere.  
 Vtrumne malles degenerem aliquem, & numerum tan-  
 tum nomēque filij expleturum habuisse, an tantæ indo-  
 lis, quantæ tuus fuit? Iuuenis cito prudens, cito pius, ci-  
 to maritus, cito pater, cito curio, cito sacerdos, omnia  
 tam propera. Nulli fere & magna bona & diuturna con-  
 tingunt. Non durat, nec ad vltimum exit, nisi lenta felici-  
 tas. Filium tibi dii immortales non diu daturi, statim ta-  
 lem dederunt, qualis effici potest. Nec illud quidem dicere  
 potes, electam te à diis, cui frui nō liceret filio. Circumfer  
 per omnem notorum & ignotorum frequentiam oculos,  
 occurrent tibi vbique maiora. Senferunt ista magni du-  
 ces, senferunt principes. Ne deos quidem fabulæ immunes  
 reliquerunt: puto vt nostrorum funeram leuamentum ef-  
 fet, etiam diuina concidere. Circumspice, inquam, om-  
 nes. nullam tam miseram nominabis domum, quæ non  
 inueniat in miseriore solatium: Non, mehercule, tam ma-  
 le de moribus tuis sentio, vt putem posse te leuius pati ca-  
 sum tuum, si tibi ingentem numerum lugentium produ-  
 xero. Maliuolū solatiū genus est, turba miserorum. Quof-

dam tamen referam : non ut scias hoc solere hominibus accidere : ridiculum est enim mortalitatis exempla colligere : sed ut scias fuisse multos, qui lenierunt a sepe, ferendo placide. A felicissimo incipiam. L. Sylla filium amisit: nec ea res aut malitiam eius & acerrimam virtutem in hostes ciuésque contudit: aut effecit ut cognomen illud vsui passe falso videretur, quod amisso filio assumpsit: nec odia hominum veritus, quorum malis, illius nimis secundæ res constabant: non inuidiam deorum, quorum illud crimen erat, Sylla tam felix. Sed istud inter res nondum iudicatas habeatur, qualis Sylla fuerit: etiam inimici fatebuntur, bene illum arma sumpsisse, bene posuisse: hoc de quo agitur constabit, non esse maximum malum, quod etiam ad felicissimos peruenit. Nec nimis admiretur Græcia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata filij morte, tibicinem tantum tacere iussit, & coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit.

CAP. XIII. PVLVILLVS hoc fecit Pontifex, cui postem tenenti & Capitolium dedicanti mors filij nunciata est: quam ille exaudisse dissimulans, & sollempnia Pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, & ad filij sui nomen Ioue propitiato. Putasses eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, & fausta nuncupatione non abduxit patrem. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo sacerdotio, qui colere deos ne iratos quidem desistit. Idem tamen, ut rediit domum, & impleuit oculos, & aliquas voces hæbiles misit: & peractis quæ mos erat præstare defunctis, ad Capitolium hilari rediit vultu. Paulus circa illos nobilissimi triumphis dies, quo victum ante currum, egit Persen, duos filios in adoptionem dedit: quos sibi seruauerat, extulit. Quales referentos putas, cum inter commodatos Scipio fuisset? Non sine motu vacuum Pauli currum populus Romanus aspexit. Concionatus est tamen, & egit diis gratias, quod compos voti factus esset. Precatum enim se, ut si quid ob ingentem victoriam inuidiæ dandum esset, id suo potius quam publico damno lucretur. Vides quam magno animo tulerit: orbitati suæ gratulatus est. Ecquem magis poterat mouere tanta mutatio? solatia simul atque auxilia

auxilia perdidit. Non contigit tamen tristem Paulum Persæ videre.

CAP. XIII. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, & quarum miseros? quasi non difficilius sit, inuenire felices. Quota quæque domus usque ad exitum omnibus suis constitit, in qua non aliquid turbatum sit? Vnum quemlibet annum occupa: & ex eo magistratus cita. Lucium si vis Bibulum, & C. Cæsarem. videbis inter collegas inimicissimos concordem fortunam, L. Bibuli, melioris quam fortioris viri, duo simul filij interfecti sunt: Ægyptio quidem militi ludibrio habiti: & non minus ipsa orbitate, auctor eius, digna res lacrymis esset. Bibulus tamen, qui toto honoris sui anno, ob inuidiam collegæ, domi lauerat, postero die quam geminum fanus renuntiatum est, processit ad solita in publicum officia. Quid minus poterat, quam vnum diem duobus filiis dare? Tam cito liberorum luctum finiuit, qui consulatum anno luxerat. C. Cæsar cum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audiuit decessisse filiam, publica secum fata ducentem. In oculis erat iam Cn. Pompeius, non æquo laturus animo quenquam alium esse in Repub. magnam, & modum imposturus incrementis, quæ grauiâ illi videbantur, etiam cum in commune crescerent: tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia, & tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.

CAP. XV. Quid aliorum tibi funera Cæsarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt sic quoque generi humano profit: ostendens, ne eos quidem qui diis geniti deòsque genituri dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum alienam. Diuus Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Cæsarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, tanquam eius iam res ageretur, cuius cum maximè intererat, de diis neminem queri. Ti. Cæsar & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit: ipse tamen pro rostris laudauit filium, steritque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento: quod pontificis oculos à funere arceret, & stente populo Romano non flexit vultum: experiendum se dedit Seiano ad latus

stanti, quam patienter posset suos perdere. Videsne quanta copia virorum maximorum sit, quos non excipit hic omnia prosteruens casus, in quos tot animi bona, tot ornamenta publicè priuatimque congesta erant? Sed videlicet in orbem ista tempestas, & sine delectu vastat omnia, agitque vt sua. Iubè singulos conferre rationem, nulli contigit impunè nasci.

CAP. XVI. SCIO quid dicas. Oblitus est fœminam te consolari, virorum refert exempla. Quis enim dixerit naturam malignè cum muliebribus ingeniis egisse, & virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigot, par ad honesta libera facultas: laborem doloremque ex æquo, si consuevere, patiuntur. In qua istud vrbè, dij boni, loquimur? in qua regem Romanis capitibus Lucretiæ & Brutum deiecerunt. Bruto libertatem debemus, Lucretiæ Brutum. In qua Clœliam, contempto hoste & flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transscriptimus. Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo loco Clœlia exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus, in ex illos vrbè sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donauimus. Quod si tibi vis exempla referri fœminarum, quæ suos fortiter desiderauerunt, non ostentim quæram. Ex vna tibi familia duas Cornelias dabo. Primam, Scipionis filiam, Gracchorum matrem. duodecim illa partus, totidem funeribus recognouit. & de ceteris facile est, quos nec editos, nec amissos ciuitas sensit. Ti. Gracchum & Caium, quos etiam qui bonos viros negauerit, magnos fatebitur, & occisos vidit & insepultos: consolantibus tamen miseramque dicentibus, Nunquam, inquit, non felicem me dicam, quæ Gracchos peperit. Cornelia Liuium Drusum, clarissimum iuuenem, illustri ingenij, vadentem per Gracchorum vestigia, imperfectis rot rogationibus, intra penates interemptum suos amiserat, incerto cædis auctore: tamen & acerbam mortem filij, & inultam tam magno animo tulit, quam ipse leges tulerat. Iam cum fortuna in gratiam, Marcia, reuenteris, si rela quæ in Scipiones Scipionumque matres ac filios egit, quibus Cæsares petiit, ne à te quidem continuit. Plena & infesta variis casibus vita est: à quibus nulli longa pax, vix induciæ sunt. Quatuor liberos sustuleras,

Ieras. Marcia Nullum autem frustra cadet telum, quod in confertum agmen immissum est. Mirum est, tantam turbam non potuisse sine invidia damnove praternehi? At hoc iniquior fortuna fuit, quod non tantum filios eripuit, sed elegit. Nunquam tamen iniuriam dixeris, ex aequo cum potentiore diuidere: duas tibi reliquit filias & harum nepotes: & ipsum quem maximè luges, prius oblita, non ex toto abstulit. Habes ex illo duas filias, similes patri: si malè fers, magna onera: si benè, magna solatia in hoc te perduxit, ut illas cum videris, admonearis filij, non doloris. Agricola, euersis arboribus quas aut ventus radicitus euulsit, aut contortus repentino impetu turbo pestregit, sobolem ex illis residuam fouet, & amissarum semina statim plantasque disponit, & momento (nam ut in damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est) adolefcent amissis lætiora. Has nunc Metilij tui filias in eius vicem substituit: & vacantem locum exple. Vnum dolorem, geminato solatio leua. Hæc quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quàm quod amissum est. Iniquiores sumus aduersus reliqua, ereptorum desiderio. Sed si æstimare volueris, quàm tibi valde fortuna, etiam cum sæuerit, pepererit, scies te habere plus quàm solatia Respice tot nepotes, duas filias.

CAP. XVII. Hic illud quoque, Marcia, mouet me, si esset cuique pro moribus fortuna, nunquam mala bonos sequerentur: nunc video, exempto discrimine, & eodem modo malos bonosque iactari. Graue est tamen, quem educaueris iuuenem, iam matri, iam patri præsidium ac decus, amittere. Quis negat graue esse? sed humanum est. Ad hoc genita es ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios teque inquietares, mortem & timeres, & optares. &, quod est pessimum, nunquam scires cuius esses status. Si quis Syraculas petenti diceret: Omnia incommoda, omnes voluptates futurae peregrinationis tuæ ante cognosce, deinde ita nauiga. Hæc sunt quæ mirari possis: videbis primum ipsam insulam ab Italia angusto intercisam freto, quam continenti quondam cohesisse constat: subitum illo mare irrupit, & *Hesperium siculo latus abscedit*: deinde videbis (licebit enim tibi auidissimum maris verticem strin-



gere) illam fabulosam, Charybdim dico, quam diu ab austro vacat, quietam; at si quis inde ventus spiravit, hiatu magno profundoque nauigia sorbentem. Videbis celerissimum carminibus fontem Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas profundentem: siue illas ibi primum nascentes inuenit, siue immersum terris flumen integrum subter tot maria, & à confusione peioris vndæ seruatum reddidit. Videbis portum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classium, aut adiuuit manus, sic tutum, vt ne maximarum quidem tempestatum furori locus sit. Videbis vbi Athenarum potentia fracta, vbi tot millia captiuorum, ille excisis in infinitam altitudinem saxi, nobilis carcer incluserat, & ipsam ingentem ciuitatem, & laxius territorium quam multarum vrbium fines sint: tepidissima hiberna, & nullum diem sine interuentu solis. Sed cum omnia ista cognoueris, grauis & insalubris æstas, hiberni cœli beneficia corrumpit. Erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, iustitiæ, legum exitium, dominationis cupidus, etiam post Platonem, vitæ etiam post exilium: alios vret, alios verberabit, alios ob leuem offensam iubebit deterruari, accerser ad libidinem mares sceminaque, & inter sedes regiæ intemperantiæ greges parum erit simul binis coire. Audisti quid te inuitare possit, quid abstertere. Proinde aut nauiga, aut resiste. Post hanc denuntiationem, si quis dixisset intrare se Syracusas velle, satis ne iustam querelam de vilo, nisi de se habere posset, qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset? Dicit omnibus nobis natura: Neminem decipio. Tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, poteris & deformes: & si fortasse tibi multi nascentur, esse ex illis aliquis tam seruator patriæ, quam proditor poterit. Non est quod speres tantæ dignationis futuros, vt nemo tibi propter illos maledicere audeat. Propone tamen & tantæ futuros turpitudinis, vt ipsi maledictum sint. Nihil verat illos tibi iuprema præstare, & laudari te à liberis tuis: sed sic te para, tanquam in ignem positura, vel puerum, vel iuuenem, vel senem. Nil enim ad rem pertinent anni: quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur.

CAP. XVIII. POST HAS LEGES PROPOSITAS SI LIBEROS TOLLIS,

Iis, omni deos inuidia liberas, qui tibi nihil sponderunt.  
 Ad hanc imaginem agedum totius vitæ introitum referamus.  
 Syraculas visere deliberranti tibi, quicquid delectare poterat,  
 quicquid offendere, exposui: puta nascenti me tibi venire in consilium,  
 intratura es urbem diis hominibusque communem, omnia complexam certis legibus  
 æternisque deuinctam, indefatigata cœlestium officia voluentem.  
 Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis vno sidere omnia impleri,  
 solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annum in æstatem hiememque  
 æqualiter diuidentem. Videbis nocturnam lunæ successionem à  
 fraternis occursionibus lenè remissumque lumen mutuantem, & modo  
 toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mirabilem,  
 semper proximæ dissimilem. Videbis quinque sidera diuersas agentia vias,  
 & in contrarium præcipiti mundo nitentia: ex horum leuissimis  
 motibus fortunæ populorum dependent, & maxima ac minima  
 proinde formantur, prout æquum ve sidus incessit. Miraberis  
 conlecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cœli  
 fragorem. Cum satiatus spectaculo iuperiorum in terram oculos  
 deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis.  
 Hinc camporum in infinitum patentium fusi planicies. Hinc montium  
 magnis & nitualibus surgentium iugis, erecti in sublimè vertices,  
 deiectus fluminum, & ex vno fonte in Orientem Occidentemque  
 defusi amnes, & summis cacuminibus nemora nutantia, & tantum  
 siluarum cum suis animalibus, auiumque concentu dissono.  
 Varij vrbium situs, & secluse nationes locorum difficultate,  
 quarum aliæ se in erectos subtrahunt montes, aliæ ripis, lacu,  
 vallibus, palude, circumfunduntur: adiuta cultu seges, & arbus-  
 ta sine cultore fertilia: riuorum lenis inter prata discursus,  
 & amœni sinus, & litora in portum recedentia, sparsæ tot per  
 vastum insulæ, quæ interuentu suo maria distinguunt.  
 Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum  
 torrentium arenas, aurum interfluens, & iu mediis terris,  
 medioque rursus mari nitentes ignium faces, & vinculum  
 terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu  
 scindens, & ingenti licentia exæstans. Videbis his inquietis,  
 & sine vento fluctuantibus aquis immani & fidem ex-

cedenti magnitudine terrentia animalia, quaedam graua & alieno se magisterio mouentia, quaedam velocia, concitatis pernicioſa remigijs, quaedam haerentia vndas, & magno praenauigantium periculo efflantia. Videbis hic nauigia, quas non nouere terras quaerentia. Videbis nihil humanae audaciae intentatum, erisque eiſpectatrix, & ipſa pars magna conaptium: diſces docebisque artes, alias quae vitam inſtruant, alias quae ornent, alias quae regant. Sed iſtic erunt mille corporum & animorum peſtes, & bella & latrocinia, & venena, & naufragia, & intemperies caeli corporisque, & cariffimorum acerba deſideria, & mors, incertum, facilis, an per poenam cruciatumque. De libera tegeum, & perpende quid velis, vt in illa venias, per iſta exeundum eſt. Reſpondebis, velle te viuere? Quid ni? immo pugo ad id non accedes, ex quo tibi aliquid detrahi doles. Viue ergo vt conuenit.

CAP. XIX. NEMO, inquis, nos conſuluit. Conſulti ſunt de nobis parentes noſtri: qui cum conditionem vitae noſſent, in hanc nos ſuſtulerunt. Sed vt ad ſolatia veniam, videamus primum quid curandum ſit, deinde quemadmodum. Mouet lugentem deſiderium eius, quem dilexit, id per ſe tolerabile apparet. Abientes enim abſuſuſque, dum viuerent, non ſtemus, quamuis omnis vſus illorum nobis & conſpectus ereptus ſit. Opius eſt ergo quae nos cruciat: & tanti quodque malum eſt, quanti illud taxauimus. In noſtra poteſtate remedium habemus. Iudicemus illos abeſſe, & noſmetipſi fallamus. Dimiſimus illos: immo contemurum praemiſimus. Mouet & illud lugentem: Non erit qui me defendat, qui a contemptu vindicet. Vt minime probabili, ſed vero ſolatio vtar. In ciuitate noſtra plus gratiae orbitas confert, quam eripit. Adeoque ſenectatem ſolitudo, quae ſolebat deſtruere, ad potentiam ducit, vt quidam odia filiorum ſimulent, & liberos ſeruent, & orbitatem manu faciant. Scio quid dicas: Non mouent me detrimenta mea, etenim non eſt dignus ſolatio, qui filium ſibi deceſſiſſe ſicut mancipium moleſte fert: cui quicquam in filio reſpicere praeter ipſum vacat. Quid igitur te, Marcia, mouet? Vtrum, quod filius tuus deceſſit: an, quod non diu vixit? Si quod deceſſit, ſemper debuisti dolere: ſemper enim ſcisti moritu-

moriturum. Cogita, nullis defunctum malis affici. Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nulla scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flamina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos vltos in illa libertate tam laxa: nullo iterum tyrannos. Luserunt ista poetæ, & vanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est, & finis: vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuumus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, & non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. Mala enim bona circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. Excessit filius tuus terminos paupertatis metu, non diuitiarum cura, non libidinis voluptatem animos carpentis stimulis incescitur, non inuidia felicitatis alienæ tangitur, nec suæ premitur, nec conuiciis quidem vllis verecundæ aures verebantur: nulla publica clades conspicitur, nulla priuata: non sollicitus futuri pendet ex euentu, semper in deteriora dependenti. Tandem ibi constitit, vnde nihil eum pellat, vbi nihil terreat.

CAP. XX. O IGNAROS malorum suorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur: quæ siue felicitatem includit, siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat, siue iuvenile æuam, dum meliora sperantur, in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit antequam inuocaretur. Hæc seruitutem inuito domino remittit: Hæc captiuorum cathenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. hæc exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse inter quos quisque iaceat. Hæc vbi res fortuna malè diuisit, & æquo iure genitos, alium sibi donauit, exæquat omnia. Hæc est quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Hæc est in qua nemo humilitatem

suam sensit. Hæc est quæ nulli paruit. Hæc est, Marcia,  
 quam pater tuus concupivit. Hæc est, inquam, quæ efficit  
 vt nasci non sit supplicium: quæ efficit vt non concidam  
 aduersus minas casuum, vt seruare animum salum ac  
 potentem sui possim. Habeo quo appellam. Video istic  
 cruces non vnus quidem generis, sed aliter ab aliis fabri-  
 catas, alij capite conuersos in terram suspendere, alij per  
 obsecra stipitem egerunt, alij brachia patibulo explicue-  
 runt. Video fideulas, video verbera: & membris & sin-  
 gulis articulis singula machinamenta: sed video & mor-  
 tem. Sunt istic hostes euenti, ciues superbi. sed video  
 istic & mortem. Non est molestum seruire, vbi si domini  
 percasum est, licet vno gradu ad libertatem transire. con-  
 tra iniurias vitæ beneficium mortis habeo. Cogita, quan-  
 tum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius  
 vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istius firma-  
 mentumque imperij, Neapoli valitudo abstulisset, indu-  
 hitatus populi Romani princeps excesserat. At nunc exi-  
 gui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit le-  
 giones in conspectu suo casas: & ex illo prælio, in quo pri-  
 ma acies senatus fuit, quæ infelices reliquæ sunt, Impe-  
 ratorem ipsum superfuisse: vidit Ægyptium carnificem,  
 & sacrosanctum victoribus corpus satelliti præstitit, etiam  
 si incolumis fuisset, pœnitentiam salutis acturus. Quid e-  
 nim erat turpius, quam Pompeium viuere beneficio regis?  
 M. Cicero si eo tempore, quo Catilinæ fidas deuitauit, qui-  
 bus pariter cum patria petitus est, concidisset, liberata  
 Republ. conseruator eius: si denique filix suæ funus fuisset,  
 tunc felix mori potuit, non vidisset strictos in ciuilia  
 capita mucrones: nec diuisa percussoribus occisorum bo-  
 na, vt etiam de suo perirent: non hastam consularia spo-  
 lia vendentem: nec cædes, nec locata publicè latrocinia,  
 bella, rapinas, trium Catilinarum. M. Catonem si à Cypro  
 & hæreditatis regix dispensatione redeuntem mare deuor-  
 rasset, vel cum illa pecunia, quam afferebat ciuili bello  
 stipendium, nõne illic bene actum foret? hoc certè: se-  
 cum tulisset, neminem aucturum coram Catone peccare.  
 Nunc annorum adiectio paucissimorum, virum libertati  
 non suæ tantum, sed publicæ natum, coëgit Casarem fu-  
 gere, Pompeium sequi. Nihil ergo mali immatura mors  
 attulit

attulit Metilio: omnium etiam malorum remisit patientiam. Nimis cito perit & immaturus. Primum puta illum superesse: comprehende quantum plurimum procedere homini licet: quantum est? Ad breuissimum tempus editi, cito cessuri loco, venienti in pactum hoc, prospicimus hospitium. de nostris ætatibus loquor, quas incredibili celeritate conuolui constat. Computa vrbium sæcula, videbis quam non diu steterint etiam quæ venustate gloriantur. Omnia humana breuia & caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia. Terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad vniuersa referentes: minorem portionem ætas nostra quam partem puncti habet, si tempori comparatur omni: cuius maior est mensura quam mundi: vt pote cum ille se intra huius spatium totiens remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcumque fuerit incrementum, non multum aberit à nihilo? vno modo multum est quod viuimus: si satis est. Licet mihi vaces, in moram tardatæ senectutis nouis denos centenosque percentesas annos, cum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa breuissimi longissimi que æui differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaueris quanto non vixerit. Deinde non immaturus dececit: vixit enim quantum debuit viuere. Nihil enim illi iam vltra supererat. Non vna hominibus senectus est, vt ne animalibus quidem: intra quatuordecim quædam annos defatigantur: & hæc illis longissima ætas est, quæ homini prima. Dispar cuique viuendi facultas data est. Nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius quam vixit, non fuit. Fixus est cuique terminus: manebit semper vbi positus est: nec illum vltius diligentia aut gratia promouebit: scit libenter illum vltius diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum, metasque dati peruenit ad æui. Non est itaque quod sic te oneres: potuit diutius viuere. non est interrupta eius vita, nec vquam se annis casus interiecit. Soluitur quod cuique promissum est. eunt vi sua fata: nec adiiciunt quicquam, nec ex promisso semel demunt: frustra vota ac studia fiunt. Habebit quisque, quantum illi dies primus adscriptus: ex illo qui primum lucem vidit, iter mortis

ingressus est. accessitque fato propior: & illi ipsi, qui adiciiebantur adolescentiæ anni vitæ detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, vt non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque iam vergere, cum illo infantia statim & iuuenta omnisque ætas ferat. Agunt opus suum fata: nobis sensum nostræ necis auferunt: quoque facilius obreptat mors, sub ipso vitæ nomine latet: Infantem in se pueritia conuertit. Pueritiam pubertas, iuuentutem senectus abstulit. Incrementa ipsa, si bene computes, damna sunt.

CAP. XXI. QVERERIS, Marcia, non tam diu vixisse filium tuum, quam potuisset. Vnde enim scis an diucius illi expedierit? an illi hac morte consultum sit? Quem inuenire hodie potes, cuius res tam bene positæ sint & fundatæ, vt nihil illi procedenti tempore timendum sit? Labuntur humana, ac fluunt. Nulla pars vitæ nostræ tam obnoxia aut tenera est, quam quæ maximè placet. Ideoque felicissimis optanda mors est: quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod præterit, certum est. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filij tui corpus, & summa pudoris custodia, inter luxuriosæ vrbis oculos conseruatum potuisse ira morbos euadere, vt ad senectutem formæ illæsum perferret decus?

CAP. XXII. COGIT A animi mille labe. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsque in senectutem pertulerunt: sed interuersa plerumque sunt. Aut sera, eoque scædior luxuria inuasit & cogit dehonestare speciosa principia: Aut in popinam ventremque proiectis, summa illis curarum fuit quid essent, quid biberent. Adicie incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, ossa viuis legentium & toras in viscera manus demittentium, & non simplici dolore pudenda curantium. Post hæc exilium. non fuit innocenrior filius tuus, quam Rutilius. Carcerem. non fuit sapientior, quam Socrates. Voluntario vulnere transfixum pectus. non fuit sanctior quam Cato. Cum ita perspexeris, scies optime cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitæ stipendium, cito in tutum recepit. Nihil est tam fallax, quam vita humana: nihil tam insidiosum. non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis:  
Itaque

Itaque felicissimum est, non nasci: proximum puto, breuitate vitæ defunctos, cito in integrum restitui. Propono illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Iraſcebatur illi ob vnum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Seianum in ceruices nostras ne imponi quidem, sed ascendere. Decernebatur illi statua in Pompeij theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat. Exclamauit Cordus, tunc vere theatrum perire. Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeij constitui Seianum, & in monumentis maximi imperatoris consecrari pessimum militem? consecratur. Subscriptio, & accerrimi canes, quos ille, vt sibi vni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascibat, circumlatrare etiam hominem illum imparatum incipiunt. Quid faceret? si viuere vellet, Seianus rogandus erat: si mori, filia: vterque inexorabilis. Constituit filiam fallere. Vius itaque balneo, ex quo plus imponeret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit: & dimissis pueris, quædam per fenestram, vt videretur edisse, proiecit: à cœna deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die, & tertio idem fecit. Quarto ipsa infirmitate corporis facebat indicium Complexus itaque te: Carissima, inquit, filia, & hoc vnum tota celata vita, iter mortis ingressus sum, & iam medium fere teneo. Reuocare me nec debes, nec potes. Atque ita lumen omne præcludi iussit, & se in tenebris condidit. Cognito consilio eius publica voluptas erat, quod è faucibus auidissimorum luporum educeretur præda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, vt interpellarent quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an morte rei perderentur, dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absoluerat. Videlicet, Marcia, quantæ iniquorum temporum vices ex inopinato ingruant? Fles quod alicui tuorum mori necesse fuit? pene non licuit.

CAP. XXIII. PRÆTER hoc etiam, omne futurum incertum est, & ad deteriora certius. Facilius ad superos iter est, animis cito ab humana conuersatione dimissis: minus enim facis ponderisque traxerunt, antequam ob-



dacerentur, altius terrena conciperent, liberati, leui-  
res ad originem suam reuolant, & facilius, quicquid est  
illud absoluti transfluunt. Nec vnquam magnis ingeniis  
cara in corpore mora est. Exire atque erumpere gestiunt,  
ægrè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex  
alto assueti humana despiciere. Inde est quod Plato cla-  
mat: Sapientis animum totum in mortem prominere,  
hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in ex-  
teriora tendentem. Quid tu, Marcia, cum videres seni-  
lem in iuvene prudentiam, victorem omnium volupta-  
tum animum, emendatum, carentem vitio, diuitias sine  
auaritia, honores sine ambitione, voluptates sine luxuria  
appetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contin-  
gere? Quicquid ad summum peruenit, ad exitum prope-  
rat. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus. Nec vlti-  
mum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. I-  
gnis quo clarior fulescit, citius extinguitur: viuacior est, qui  
cum lenta difficilique materia commissus, summoque de-  
mersus, ex sordido lucet. eadem enim detinet causa, quæ  
malignè alit. Sic ingenia quo illustriora, eo breuiora sunt.  
Nam vbi incremento locus non est, vicinus occasus est.  
Fabianus ait, quod nostri quoque parentes videre, pue-  
rum Romæ fuisse, statura ingentis viri: sed hic cito de-  
cessit, & moriturum breui nemo non prudens dixit. Non  
poterat enim ad illam ætatem peruenire, quam præcepe-  
rat. Ita est, iudicium imminenti exitij maturitas. & ap-  
petit finis, vbi incrementa consumpta sunt.

CAP. XXIV. INCIPE virtutibus illum, non annis æsti-  
mare. latis diu vixit. pupillus relictus, sub tutorum cura  
vsque ad decimum quartum annum fuit: sub matris cu-  
stodia semper: cum haberet suos penares, relinquere tuos  
noluit. Adolefcens statura, pulchritudine, cetero corpo-  
ris robore castris natus, miliciam recusauit, ne à te disce-  
deret. Computa, Marcia, quam rato liberos videant,  
quæ in diuersis domibus habitant. Cogita, totos illos  
perire annos matribus, & per solitudinem exigi: qui-  
bus filios in exercitu habent. Scies multum paruissè hoc  
tempus, ex quo nihil perdidisti. Nunquam à conspectu  
tuo recessit, sub oculis tuis studia formauit, excellentis  
ingenij, & æquarum auum, nisi obstitisset verecundia,  
quæ

quæ multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimæ formæ in tam magna mulierum turba vitos corruptum, nullius spei se præbuit: & cum quorundam vsque ad tenrandum peruenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat. Hac sanctitate morum effecit, ut puer admodum dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione. Sed ne mater quidem nisi pro bono candidato valuisset. Harum contemplatione virtutum sic te gere, tanquam si nunc ille tibi magis vacet. Nunc nihil habet quo auocetur. Nunquam tibi sollicitudini, nunquam merori erit. quod vnum ex tam bono filio poterat dolere, doluisti. Cetera exempla casibus, plena voluptatis sunt: si modo vti filio scis, si modo quid in illo pretiosissimum fuerit intelligis, imago duntaxat filij tui perit, & effigies, non simillima: ipse quidem æternus, meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis, & sibi relictus. Hæc quæ vides ossa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumque, & ministras manus, & cetera quibus inuoluri sumus, vincula animorum tenebræque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris & suis, in falsa coniectus: omne illi cum hac carne graui certamen est, ne abstrahatur & fidat: nititur illo vnde dimissus est: ibi illum æterna requies manet, pro confusis crassisque pura & liquida visentem.

C A P. XXV. PROINDE non est quod ad sepulchrum filij tui curas. Pessima eius, & ipsi molestissima istuc iacent, ossa cineresque, non magis illius partes quam vestes, aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens, fugit & totus excessit: paulumque supra nos commoratus, dum expurgat inherentia vitia, situmque omnis mortalis æui exciuit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cætus sacer, Scipiones, Catonesque, vti tue contemptores vitæ, & mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum, quanquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, noua luce gaudentem, & vicinorum siderum meatus docet: nec ex coniecturis, sed omnium ex vero peritus in arcana naturæ libens ducit. Utque ignotarum virbium monstrator hospiti gratus est: ita sciscitanti cælestium causas, domesticus interpres, & in profunda

terrarum permittere aciem iuuat. Delectat enim ex aliâ relicta respicere. Sic itaque, Marcia, tegere, tanquam sub oculis patris filiique posita, non illorum quos noueras, sed tanto excellentiorum, & in summo locatorum: erubescere quicquam humile aut vulgare, & mutatos in melius tuos flere, in æterna rerum per vasta & libera spatia dimissos. Non illos interfusa maria discludunt, nec altitudo montium aut imæ valles, aut incerta vada Syrium. tramites omnia plani, & ex facili mobiles, & expediti, & inuicem peruij sunt, intermixtique sideribus.

CAP. XXVI. PVT A itaque ex illa arce cælesti patrem tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum, non illo ingenio, quo civilia bella defleuit, quo proscribentes in æternum ipse proscrispsit, sed tanto clariore, quanto est ipse sublimior, dicere: Cur te filia tam longa tenet ægritudo? Cur in tanta veri ignorantia versaris, vt iniquè actum iudices cum filio tuo, quod in tædium versus vitæ, ipse ad maiores se recepit suos? Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia? quam nullis benignam facile se præstiterit, nisi qui minimum cum illa contraxerant? Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid ætati detraxeris? an nobilissimos viros clarissimisque ad ictum militaris gladij composita ceruice formatos? Respice patrem atque avum tuum. Ille in alieni percussoris venit arbitrium. Ego nihil in me cuiquam permisi, & cibo prohibitus ostendi, quam magno animo scripsissem. Cur in domo nostra diuissimè lugetur, qui felicissimè moritur? Comus in vnum omnes, videmusque vos alta nocte circumdari. Nil apud vos vt putatis, oprabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cuncta, & grauiâ, & anxia, & quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam, nulla hic arma mutuis fuere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, nec cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos: nihil in obscuro, detectas mentes, & aperta præcordia, & in publico medioque vitam, & omnis æui prospectum, euentumque. Iuuat vnius sæculi fata componere in parte  
ultima

ultima mundi, & inter paucissimos gesta: tot sæcula, tot ætatum contextam seriem, quicquid annorum est licet visere: licet surrectura, licet ruitura regna prospicere, & magnarum urbium lapsus & maris novos cursus. Nam si potest tibi solatio esse desiderii tuis commune fatum, nihil quo stat loco stabit. Omnia sternet abducatque secum ventustas: nec hominibus solum (quota enim istæ fortunæ potentia portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet: tot supprimet montes, & alibi rupes in altum nouas exprimet: maria sorbebit, flumina auerter: & commercio gentium rupto, societatem generis humani cæterisque dissoluet. Alibi hiatus vastis subducat vrbes, tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentes halitus mitter, & inundationibus quicquid habitabatur, obducat. Necabitque omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit incendetque mortalia. Et cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animæ, & æterna sortitæ, cum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, & ipsi parua ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam nouit.

